

STAM. *Filamenta* numero incerta & variantia a 9 usque ad 14. f. 15, sulcata, plana, calycis dimidio paulo longiora, receptaculo æqualiter inserta. *Anthera* oblonga, compressa, didyma, erecta.

PIST. *Germen* ovatum, obsolete quinquangulare, magnum. *Stylus* nullus. *Stigmata* quinque, longiuscula, crassiuscula.

PER. *Capsula* ovata, calycis longitudine, quinquangularis, quinquelocularis, quinquevalvis: *valvulis* membranaceis, tenuissimis, in medio singuli loculamenti perpendiculariter usque ad basin dehiscentibus.

SEM. plurima, simplicis seriei, sub valvulis, parva, subrotunda, tuberculata, basi affixa membranulæ tumidæ, (arilli contimilis?), ea tamen non obteguntur, sed per ipsam receptaculo adherent.

*Receptaculum* conico-subulatum, quinquangulare, angulis compressis, a dissepimentis dehiscens, liberum.